

**Monimentum
perillustri et
generosissimo
domino Jacobo
Creutz, libero
baroni...**

Terserus, Uno,

1 Ic Fol.



National Library
of Sweden

MONIMENTUM
 PERILLUSTRI ET GENERO-
 SISSIMO DOMINO
JACOBO CREUTZ,
 LIBERO BARONI DE Casarij/ DOMINO
 DE Garfwelax/ Abborefors/ Liuxala ET Caris.

*Cum pie defunctus in Templo Ridderholmensi
 Tumulo suo inferretur Anno M. DC. LX. VII.
 Die XX April.*

positum.

ab

UNONE J. TERSERO.

HOLMIÆ, Literis Hantschenii.

QUID TU VIATOR

CELERI ADEO PEDE TANTOQUE CUM SUPERCILIO
OBVIA HÆCCE PRÆTERIS?

JUSSIT TE SANE CREATOR SUPERA INTUERI ERECTUM;
SED NEC

EORUM QUÆ ANTE PEDES SUNT TUÆQUE SORTIS
VOLUIT ESSE IMMEMOREM,

HUJUS IGITUR

RITE QUOD TE ADMONEAT

ADSPICE MONIMENTUM,

IDQUE PRESSO GRADU DEMISSOQUE PAULULUM VULTU
LEGE RELEGE.

SUCCUBUIT, HEU DOLOR! FATO NIMIS PROPERO,
SUCCUBUIT

QUI PAUCAS ADHUC LEGENS ARISTAS
HUMANO QUIDEM JUDICIO PLURIBUS DIGNUS VISUS EST.

JUVENIS

FLORE ÆTATIS AMABILIS,

ANIMI GENEROSITATE PRÆFULGENS

GENTIS SUÆ SPES MAGNA,

GENERIS FASTIGIO ET MAIORUM SACRA MEMORIA

PERILLUSTRIS DOMINUS

JACOBUS CREUTZ.

QUEM DUM IN VIVIS ERAT OB VIRTUTEM

AMABANT MERITO OMNES,

QUEM ITEM EXTINGVTVM ACERBIS PROSEQVNTVR LACHRYMIS
MERITO OMNES.

NAMQVE

HIC NOSTER SURCULUS ERAT EX STIPITE PROVENIENS
PRORSUS GENEROSO.

EDITVS NIMIRUM IN LUCEM ANNO RECUPERATÆ SALVTIS
M. DC. XL. III. DIE XI. CAL. MART.

PATRE CLARVS MAGNO REGNI SENATORE,

EXCELLENTISSIMO ILLUSTRISSIMOQUE DOMINO,

DOMINO

LAURENTIO CREUTZ.

QUEM UT

CONSILIO POTENTEM,

AFFECTV IN PATRIAM INSIGNEM

PRUDENTIA SVMMVM

SVECIA OMNIS

SUSPICIT, DILIGIT, VENERATVR,

MATRE BEATVS ERAT
GENEROSA NOBILITATE ET PERILLUSTRI FAMILIA
DECORA ADMODVM
DOMINA

ELSA DUWALL,

QVÆ VIRTVTIBVS SESE ORNANTIBVS
SEXVM LONGE SVPERGRESSA.
VT INGENVÆ PROBITATIS, PIETATIS ET HONESTATIS
EXEMPLVM EMINET SINGVLARE.

EX HIS,
TANTIS TALIBVSQVE PROGNAVVS PARENTIBVS
VIVA EORVM SATISQVE FELICITER EXPRESSA
EXTITIT IMAGO.
EXIMIO CORPORIS HABITV FORMAQVE GRATISSIMA ORIS,
ILLIS QVIBVS HÆC MAXIME CVRÆ SVNT,
IN DELICHS ERAT
INDOLEM AUTEM EJUS SUMMASQUE NATURÆ DOTES
QUIS SATIS PRÆDICET?

ACCESSIT HIS
MAGNORVM PARENTVM PROVIDA DE EO CURA,
ID UNICE AGENTIVM
UT UNA CUM CORPORE CRESCERET ET ANIMI CULTVS
SCILICET
DIVINARVM HUMANARVMQVE SCIENTIA RERVM,
CULTVS AC REVERENTIA SUMMI NUMINIS
GRATAQVE ET OMNIBVS AMABILIS
MORVM INTEGRITAS.

HAC FINI
PRIMA ANNORVM SVORVM II. LUSTRA
SUB INSTITVTIONE DOMESTICA
FELICITER EXEGIT,
TERTIO ABOÆ COEPTAM CONTINAVIT SEDULO TELAM.
PER SVBSEQVVTOS ANNOS III
FIDELI INDUSTRIÆ PRÆCEPTORVM COMMISSVS,
LITAVIT MUSIS UPSALIENSIBVS.
HOS QUI EXCEPERVNT III FERE ANNOS
IN GERMANIA NUMERAVIT,
CHARVM QVÆ DEPOSITVM ET DILECTVM ALVNUM
OMINE NON FAVSTO REDDIDIT,
ANTE TRIENNIVM.

AD NVTVM NAMQVE OPTIMORVM PARENTVM
DEBITAQVE CONFECTI LABORIS STVDIORVMQVE
PRÆMIA JAM CAPTANDA
IN PATRIAM TENDIT.
CVM INQVIETAM EXPERTVS NAVIGATIONEM, ET
CRVRE EX INFELICI LAPSV GRAVITER LÆSO,
LENTVM EXTRAXIT MORBVM

C. V.

QUI AD OMNES SESE DIFFUNDENS CORPORIS PARTES
LECTO EUM ULTRA BIENNIUM CONTINUE AFFIXIT;
DECUMBENTEM GRAVISSIME CRUCIAVIT;

FECITQUE,

UT CUM NOMINE OMEN ETIAM FERRET

C R E U T Z I U S;

JAMQUE DURISSIMA PASSUS

ANIMAM FACTORI SUO, CORPUS VERO MATRI
REDDERET,

CURRENTIS ANNI XII CAL. MART.

IN ILLUSTRIO EXEMPLO TANQUAM IN SPECULO
HUMANÆ IMBECILLITATEM SORTIS

MECUM INTUERE VIATOR.

QUAMVIS GENEROSO STEMMATE ET ILLUSTRIO PROSAPIA ORTUS,
IN CINERES ABIIT;

QUAMVIS AMPLIS FORTUNÆ DOTIBUS AFFLUERET.

REDIMI TAMEN HIS NEQUIVIT;

FORMA CORPORIS VIX PAUCIS, OLIM, SECUNDUS

JAM VERMES PASCIT;

ROBORE VIRIBUSQUE CORPORIS, ALIOS SUPERARE SVETUS,

JAM SE IMBELLEM MIRATUR;

DONIS DEMUM NATURÆ, QUÆCUNQUE IN HOMINE LAUDANTUR

SINGULIS AFFATIM INSTRUCTUS,

VIXIT.

NOBIS, PROH DOLOR, IPSI QUI SUPERVIVIMUS, VIXIT.

VIVIT AUTEM SIBI ÆTERNAM INTER COELITES

VITAM.